

29.  
Q. B. V.

# LEGES MATRI- MONIALES

DODECADE QVÆSTIONUM

# POLITICARUM

*Breviter expense*

Qvas

*Conf. ampl. Facult. Philol. in Reg. acad. Aboënsi,*

P R Æ S I D Æ

VIRO CL.

D<sup>N</sup>. ALGOTHO A.

SCARIN,

Hist. & phil. civ. Prof. reg. & ordin.

Ad diem XV. Junii An. MDCCXLV.

PRO GRADU

*publice ventilandas sistit*

SAMUEL REUTER

VESTROBOTNIENSIS,

Loco horisque conlvetis:

---

ABOÆ, Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Ac. Typogr.

Nobilissimo atque consultissimo VIRO,  
Dn. OLIVAO UNÆO,


Consuli Urbis Luhlensis

Fautori & promotori benignissimo.

Cum multa magnaq; Tua beneficia, Vir nobiliss. ab ipsis cunabulis mihi prestita, in mentem revo- co, non possum, quin eadem venerabunda grataq; mente agnoscam. Pagellas itaque hasce in grati atque venerabundi animi signum benignissimè accipias. Cumque jam alia, qua rependam non habeo, Numen ipsum, omnis mune- ris auctorem, precibus semper defatigabo, velis ille pro merito ea compensare, qua mihi be- nefeceris, Teque in seros annos, publico bono & familia Tuæ nobilissima prestatio, saluum & in- colummem conservare!

Nobilissimi atque consultissimi Nominis Tui

Cultor devotissimus  
S. R.



*Thef. I.*

**I**Nter hypothetica, quæ cum ipso genere humano coeperunt, Juris naturalis officia, primum merito locum illa sibi vindicant, quæ in *matrimonio*, illo vitæ socialis & civilis seminario, conjuges sibi invicem debent per stipulatam sobolis procreandæ & educandæ; nec non vitæ commodius agendæ causâ, liberam & legibus convenientem conjunctionem.

*Thef. II.*

**C**Um verò *matrimonium*, perinde acque alix conventiones, formam suam specificam, à lege civitatis & voluntate contrahentium accipiat: in universalem generis humani æqualitatem non leviter impingere censendi sunt illi, qui marito in uxoris personam ejusque bona, imperium *naturæ* constitutum competere, idemque citra pactum, ad *jus vitæ & necis* quoque sese extendere urgent.

**Q**uemadmodum omnia vage libidinis fœdaque scortationis genera, utpote ab ulu & pulchritudine vitæ humanæ procul recedentia, divinæ ordinationes penitus abhorrent; ita ad conjunctionem matrimonialem, speciei propagandæ & conservandæ causa, omnes omnino homines obligantur, qui debitâ colendæ arctissimæ societatis habilitate instructi fuerint. Sicut in naturæ auctorem & genus omne humanum graviter peccare censendi sunt, qui superbo diversi sexus odio, sustinendæe numerosæ familiæ fastidio, legitimi matrimonii charitatem & fœdera detrectant.

## Thes. IV.

**Q**uem *patres* antiqui, sub specie religionis, pietatis, castimonix atque sanctitatis, cœlibatum *clericis* imperarunt, illum divinis legibus cum naturalibus, tum quoque positivis, ut & praxi ecclesiæ sincerioris, e diametro repugnare, atque ex causis merè politicis, statum *hierarchiæ* apprime stabilientibus, ordini illi impositum fuisse, asserimus.

## Thes. V.

**S**icut Legislatoribus ad decus & incolumitatem civitatis suæ integrum est, quibuscunque

ma

3  
majoris momenti negotiis subditorum suorum formam præscribere certam, ut hac non servatâ, actus sit censendus irritus; itaque *benedictionis sacerdotalis* solemnitas recentiore ævo, ex instituto Christianorum principum pio & prudenti, contrahendis matrimoniis imposita est, quamdiu non immutata fuerit, ad matrimonii constitutionem necessaria quidem, sed ita tamen, ut publicam consensus mutui declarationem magis imperet, quam cujusdam essentialis requisiti indolem & naturam sustineat.

*Thef. VI.*

**P***Rincipes*, quamvis ad illas solemnitates, quas civitati præscribere, ipsi non sine alligati, sed vel præsentibus concepta stipulatione defungi, vel per procuratorem absentes eandem implere; imò civibus suis etiam, ex sufficienti ratione, recepti moris licentiam facere queant; solemnia in universum omnia tamen intermittere nequeunt, variorum habitâ effectuum ratione. qui quo graviores in illorum matrimoniis existere possunt: eo in pacto ineundo hoc ipso, eosdem etiam circumspicio.

4  
Ciores esse, communi opinioni sese magis ac-  
commodare, quam suo jure *uti*, oportet.

*Thef. VII.*

**L**icet *juris naturalis* præceptis non adver-  
sentur *leges civitatum Christianarum*, quæ  
*divortia*, ne pro ea, quæ inter homines reg-  
nat, corruptione, crebra nimis evadant, de-  
bito modo circumscribunt: de *priore illa*  
juris specie non illico concludendum tamen,  
quod necessariò exigat convictus matrimoni-  
alis perpetuitatem. potius sicut contrahenti-  
um alteri minimè fas est, nisi ex gravissi-  
mis causis; à *pacto ritè inito* resilire: ita de  
dissentiu mutuo neque dubitandum, quin pro-  
dirimendo, in illo *toro*, *connubiali* convictu,  
licet in omne tempus vitæ stipulato, sufficiat.

*Thef. VIII.*

**S**icut veteres *penâ* modo legibus propositâ  
iis, qui à *consuetudine conjugali* temere ab-  
horrent: modo *polygamia* legibus permissivis,  
*socialitatis* afflicte firmamento & *incolumitati*  
prudenter consuluerunt: ita de hodiernis *ci-  
vitatum* rectoribus neque dubitandum, quin  
*civium* mole, eademque onerosâ & periculo-  
sâ *nimum* excrecente, conjugiorum, præser-  
tim

5  
tiam impuberum promiscua licentia, iusta prohibitione intercedere possint.

*Ihes. IX.*

**R**ationes licet non assequatur Jus naturæ turpitudinis illius, propter quas à nuptiis ascendendum & descendendum, ne dicam ceterorum arctiore cognatione junctorum abstinendum sit, easdem omnino & omni jure divino & humano licitas esse, non propterea sentiendum est.

*Ihes. X.*

**D**E *Isaaci* matrimonio per internuncium servum inito, licet sint qui patriarcham simulacrum in illa re *Christi* egisse dicant, extra Hierosolymam sponsam sibi, ecclesiam puta, ministrorum ope colligentis; imo *Abrahamum* alii quoque reprehendant, quod servo, non perinde filio, qui quadragenario major erat, negotium suum expediendum commiserit: Tamen, si quæ in illo statu Patrum familias majestas & in liberos & servos potestas fuerit, penitus consideraverimus, apparebit tuo jure patrem egisse, neque honestum solum sed & justum fuisse *Isaaci* obsequium,

*Ihes.*

**U**t ut de affectibus recte dictum sit, quod aliis, nostri non serviant, adeoque in nulla re magis, quam in matrimonio necessaria sit libertas: non obstat illa tamen, quin in inæqualitate civili, quæ hodie est, cum socialitate consentent Sætheticarum decreta legum, ne cum exteris indigenæ, & cum illustribus familiis plebeji promiscuè jungantur, graviter & sincere prohibentia. (a)

(a) vid. Vaastena Riks. dags Beslut de anno 1524. addè J. Magni hist. Sveth. Lib. 23. p. m. 893.

**M**atrimonium, Franco-Gallorum more, ad præscriptum legis Salicæ inita, quibus familiæ dominus femina, quam sibi in uxorem adjungit, ejusque liberis, præcisa spe hæreditatis, certum dotalitium constituit, Legibus matrimonialibus, quæ juris naturæ sunt, adeo non contrariari existimamus, ut exemplum illius instituti sanctis dei hominibus quoque usitati, ex sacris repetere pronum sit atque proclive.